

K. 708

POPIS PUBLICZNY

UCZNIÓW

KONWIKTU WARSZAWSKIEGO

XIĘŻY PIIARÓW

w ŻOLIBORZE

Odbywać się będzie w dniach 29 i 30 Lipca.

NA TEN POPIS

ZAPRASZA IĄ

PRZEŚWIETNĄ PUBLICZNOŚĆ

REKTOR I NAUCZYCIELE

[Estr. T. 3

5. 486]

w WARSZAWIE 1823 roku.

R/130/91

PORZĄDEK POPISU,

Nr inw. 4069

Dnia 29 Lipca we Wtorek

- Od godziny 8. do 9 Religia i Nauka Moralna.
— 9 — 10 $\frac{3}{4}$ Język Łaciński, Mitologia, starożytności greckie i rzymskie.
— 10 $\frac{3}{4}$ — 11 $\frac{1}{4}$ Język Grecki,
— 11 $\frac{1}{4}$ — 12 $\frac{1}{2}$ Historia powszechna i Polska.
— 12 $\frac{1}{2}$ — 1 Geografia.
— 1 — 2 — Historia Naturalna, Fizyka; Chemia.

Dnia 30 Lipca we Środę.

- Od godziny 8 do 10 Matematyka.
— 10 — 11 $\frac{1}{2}$ Język Niemiecki.
— 11 $\frac{1}{2}$ — 1 Język Francuzki.
— 1 — 2 Literatura Polska.

• Dnia 31 Lipca z rana iedynastu Uczniów Klasy VI. składać będą *Examen maturitatis*.

*Dubia quædam de Equitibus
Romanis tolluntur.*

Antiquitatum Romanarum caput de equitibus refertur inter ea, de quibus multi multumque disputaverunt; quocirca vereor ne mihi, qui de hac re sum scripturus succenseat quis, quod materiam sæpe tractatam denuo tractandam susceperim; eoque magis, quod cum iis viris agere voluerim, quos omnes doctos, eruditos et appellant et existimant. Vereor, nec tamen a consilio meo desistam, cum id tale putem, quod etiam sæpius a multis aliis capi possit. Vereor, descendam tamen cum doctis in certamen, cum sciam id pluribus victoriam potius, quam cladem esse allaturum. Ita sane Vos Viri præstantissimi, quos moesti adhuc desideramus, Beaufordt, Le Beau palmam feretis, non quidem de me, quid enim inde laudis habituri essetis, sed de iis, qui a me ad pugnam læcessentur, quique apud omnes gentes clarum nomen obtinent. Vos gloriam vestram in dissertatione mea renasci videbitis — Vos cultum diligentem in illa vobis tributum invenietis — Vos denique ea, quæ docte atque acute in ordinem equestrem inquisivistis, ut notiora fiant, quod quidem valde exopto, fere repetita animadvertetis.

P A R S I.

In duas igitur partes descripta dissertatione mea, in prima agam de numero equitum sub Regibus, explicans atque illustrans omnes, qui huc pertinent locos; deinde paucis disputabo de nomine eorum; postea definiam tempus, quo iidem tertius ordo populi haberi coeperint.

I.

Romulum instituisse equites omnes tradunt: sed quot instituerit paucissimi docent. Multi cum ~~_____~~ le intelligant, mendii malunt accusare antiquos auctores, quam de sua confiteri imprudentia. *Celeres*, plerique inquirunt, id est, trecentos juvenes quorum opera ad custodiam corporis sui uteretur, urbis conditor legit: de aliis vero nulla mentione facta, sanctum quasi observant silentium. Quod et miror et quomodo fiat non assequor: certum enim est sexcentos fuisse equites jam Romulo Rege. Testis hujus rei est idoneus. posthabitis aliis Livius, qui disertis verbis duplicis generis equitum meminit. Sunt autem haec Livii in libri primi capite XIII. „Eodem tempore et centuriae tres equi-
 „ tum conscriptae sunt, *Ramnenses* ab Romulo, ab Tito Tatio
 „ *Tatienses* appellati. Lucerum nominis et originis causa incerta
 „ est”: et in capite XV. „trecentosque armatos ad custodiam cor-
 „ poris, quos *Celeres* appellavit, non in bello solum sed etiam in
 „ pace habuit”; quæ summam quam conceperam valde et comprobant et affirmant. Accedit præterea, quod de Servio Tullo apud eundem legitur: „Ita pedestri exercitu ornato distributoque,
 „ equitum ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias,
 „ sex item alias, tribus ab Romulo institutis, sub iisdem quibus
 „ inauguratæ erant nominibus fecit”: inde enim manifestum fit, primi Regis centuriam intra ducentorum stetisse numerum, cum Servius e tribus sex fecerit alias. Mecum consentit vir egregius Le. Beau cum dicat; „Romulus avoit d'abord établi trois centuries
 „ chacune de cent cavaliers; il les augmenta ensuite par l'institution de *Celeres*, dont il composa sa garde.”—Idem recte adversatur Salmasio, atque lucide commonstrat, equites simul ac instituti fuerint, legionibus adhaesisse. Stant pro illo Ovidius et Plutarchus: quippe qui eadem in hac re sentiunt. Atque Ovidius sic habet:

- „ Inde Patres centum denos secrevit in orbes
- „ Romulus, hastatos instituitque decem.
- „ Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat
- „ Corpora, legitimo quique merebat equo (a).

(a) Fast. lib. III.

Gravissima sunt ultima: quod declarant equites iisdem fuisse obstrictos legibus initio, quibus temporis processu. Plinius expedit rem Plutarchus; qui aperte scribit legionem Romuli tribus millibus peditum, ~~tripertitis~~ vero equitibus constitisse. „Έκαστοι δὲ σύνταγμα πεζῶν τρισχιλίων ἦν καὶ τριακοσίων ἰππίων.” (a) *Celeres* igitur, cum ad custodiam adhiberentur Regis, legioni tamen adnumerabantur, cumque ceteris sexcentorum numerum efficiebant. Atque hoc quidem ita, nisi alio trahere videatur Dionysius Halicarnasseus. Veram et is reconciliari nobis potest: aliter enim, ac fortasse intelligitur, intelligendus est. In libro igitur secundo Antq. Rom. cum dixisset, Romulum post conditam urbem vix tria millia peditum, trecentos vero equites conscribere potuisse, addidit:

„Οἱ δὲ καταλειφθέντες ὑπὲρ ἑκείνων, ὅτε ἐξ ἀνθρώπων ἐφανίσθη, πεζοὶ μὲν ἑξακισχιλίους πρὸς τέσσαρσι μυριάσιν, ἰππεῖς δ' ἑ πολλοὶ ἀπέχοντες χιλίων.”

Quæ verba sic interpretatus est Syllburgius: „quando autem ex mortalium numero sublatus est, peditum reliquit quadraginta sex millia et mille ferme equites” — Recte quidem, nec tamen credendum revera, id quod ipse diceret, e Dionysii verbis colligi posse. Si quis ita crederet, valde ignarus valdeque imperitus foret: nam tantas copias, ne quidem exactis regibus ante punica bella habuere Romani. Πιζοὶ μὲν ἑξακισχιλίοι πρὸς τέσσαρσι μυριάσιν, ἰππεῖς δ' ἑ πολλοὶ ἀπέχοντες χιλίων; non sunt milites qui in armis perpetuo essent, sed cives viribus et aetate ad arma capienda apti. Dionysius enim rem Romanam non ex eo exercitu quo fuisset usa, sed ex eo quem legere in urbe potuisset, aestimat. Explicatio hæc nostra vehementer congruit cum sequentibus, ubi Dionysius apertius significavit se de multitudine agere: „ἐκεῖνα δὲ ἄρξαντες τῶν τῶν πολιτευμάτων, ὅς τε βασιλεῖς οἱ μετ' αὐτοὺς ἠγασάμηναι τῆς πόλεως, τὴν αὐτὴν ἐφύλαξαν προαίρεσιν, καὶ οἱ μετ' ἐκείνων ἐπιαντίαι λαμβάνοντες ἀρχάς, ἔστιν ἂ καὶ προστιθέντες ἄλλως, ὥστε μηδὲνος ἴθις τῷ δοκῶντος εἶναι πολυανθρωποτάτου, τὸν Ρωμαίων δῆμον γινώσθαι ἰλάττονα.” (b).

A Romulo transitum faciamus ad alios reges, quaeque conditio fuerit equitum, illis summam rerum administrantibus, videamus. Plurimi, inter quos est etiam Cl. Sigonius, contendunt, a Numa *Celeres* fuisse sublato, atque hujus suae opinionis Plutarchum

(a) Vit. Romul.

(b) Loc. Cit.

auctorem nominant. Cujus locum ex quo isti id conjiciunt perpendamus. Παλαβάν δὲ τὴν ἀρχὴν, πρῶτον μὲν τὸ τῶν τριακοσίων (δορυφόρων) σύστημα διέλυσεν, ὅς Ρώμυλος ἔχων αἰὲν περὶ τὸ γᾶμα Κίλερας προσηγορευτοῖν, ὅπως ἴσται ταχίς (c). Omnes interpretes vertunt, „inito regno protinus cohortem trecentorum, quibus stipatus Romulus fuerat, exauctoravit, (v. dimisit):” atque Sigonius in sua de equestri ordine disputatione eandem versionem secutus sublatis fuisse a Numa *Celeres*, postea vero ab aliis regibus restitutos pronuntiavit. Principis facile viri judicium coëvis integrum mansit: nemo cum esset, qui accuratius veritatem exquirere auderet. Quod sane miror. Nam nec certum est, nec ulla veterum auctoritate comprobatum, quin etiam iniquum, si ista Dionysii Halicarnassei de Numa audiveris: „τὴν δὲ τρίτην τοῦ ἡγεμόσι τῶν Κιλερίων οὐς ἔφην ἰππικῆς τε καὶ πεζοῦς στρατευομένης Φίλακας ἀποδείκνυσθαι τῶν βασιλείων καὶ γὰρ οὗτοι τιταγμένας τιμὰς ἐξεργάσις ἐπιτίλουν.” (d). Verum quomodo rectius judicandum? Totius rei cardo vertitur in illis, τὸ τῶν τριακοσίων σύστημα διέλυσεν, quæ quidem accipienda sunt non de dimissis vel exauctoratis *Celeribus*, sed de remotis a regis perpetua custodia. Numa enim ne diffidere suis civibus videretur, *Celeres* assiduos corporis sui stipatores cum ceteris equitibus conjunxerat et legionibus adjecerat. Quo facto non deletum est nomen *Celerum* sed cum aliis communicatum. Sic Græci scriptoris verba accipiebat vir ille celeberrimus Le Beau, sic quoque accipiet, qui vitam eorum penitus perspexerit. Diversa existimantibus errorem creavit profecto dubia vis vocabulorum: atqui Plutarchus sæpe ambiguus. Quid valebunt e. g. ista: „διπλασιασθείσης δὲ τῆς πόλεως αἱ λεγεῶνες ἦλθοντα πεζῶν ἑξακισχιλίων ἰππικῶν δὲ ἑξακοσίων”. (e) si illa simpliciter interpretari volueris? Geminum videbitur ἀμαρτυρία: alterum quod sexcenos equites in unam legionem constitutos vel florentissimis temporibus apud nullam idoneum auctorem Graecum, Latinum reperire queas: alterum quod nonnisi multis post Romulum sæculis factam senum millium legionem constat. At vero si paulo diligentius eadem examinaveris, intelliges Plutarchum noluisse dicere singulas legiones sex millibus peditum, sexcentis equiti-

(c) Vit. Num.

(d) Lib. II.

(e) Vit. Rom.

bus constituisse, sed adeo post receptos Sabinos exercitum auctum, ut duæ legiones sex millia peditum, sexcenos equites haberent. Itaque Numa numero eodem retento, nihil præter id, quod diximus, in equitibus mutavit. Tullus Hostilius dissimilis proximo regi, ferocior Romulo ut omnium ordinum viribus aliquid e novo adjiceretur, equitum decem turmas ex Albanis legit, ita ut non-genti essent. Ancus Marcius in superiorum regum instituta abilit. Tarquinius Priscus equitem maxime suis deesse viribus ratus, ad eos, quos Romulus et Tullus Hostilius scripserant, alios addidit suoque nomine insignes reliquit. Conferatur Livius in libri primi Capite XXX. ubi hæc de Tarquinio Prisco narrantur: „ Neque tum „ Tarquinius de equitum centuriis quidquam mutavit: numero „ alterum tantum adjecit, ut mille et octingenti equites in tri- „ bus centuriis essent.” Quorum sensum non cepit Rosinus, cum diceret „equites a Tarquinio Prisco aucti fuerunt.” (1) Fefellit certe Virum Doctissimum illud, „ numero alterum tantum adjecit”; cum non recordaretur non-gentos fuisse equites jam Tullo Hostilio regnante. Nec isti multo rectius, qui his, „ut mille et octingenti” „ut mille et ducenti., substituunt: nam ne ita quidem numerus convenit. — Servius Tullius populo in classes diviso et pedestri exercitu ornato distributoque, equites in octodecim centurias descripsit.

2.

Sic res equestris ordinata diu Romæ fuit, appellatio sola sæpe variata. *Celerum* nomen ad exactos reges equitibus datum, auctores sunt Livius et Pomponius. Uterque Brutum *Tribunum Celerum* dicit: ille in Tarquinio Superbo, (a) hic in Digestis. (b) Post expulsos reges nulla amplius fit mentio *Celerum*. Idem Bru-

(1) Corp. Antiq. Rom. Rosin.

(a) Quo simul ventum est, præco ad Tribunum Celerum, in quo magistratu forte Brutus erat, populum advocavit. Lib. 1. c. 59. Confer. quoq. Dionys. Halicar. pag. 227.

(b) Jisdem temporibus, loquitur de regibus, Tribunum Celerum fuisse constat. Is autem erat, qui equitibus præerat et veluti secundum locum a regibus obtinebat, quo in numero fuit Junius Brutus, qui auctor fuit regis ejiciendi Lib. I. T. II. §. 15.

tus istud nomen delevisse videtur. *Flexumines* equites ad annum 445. U. C. inde ab hoc tempore usque ad Gracchos vel ultra *Trossuli* appellantur. (c) *Trossuli* vocari coeperunt equites, inquit Plinius, cum oppidum in Tuscis citra Volsinos ejus vocabuli passuum novem millia sine ullo peditum adjumento cepissent (a). In eadem sententia est Festus in voce *Trossuli*; „*Trossuli* equites dicti quod oppidum Tuscorum Trossulorum sine opera peditum ceperunt.”—Gracchorum aetate nomen *Trossulorum* ob ambiguum potestatem abiit in contemptum (*τεροσός*, enim Graecum, *mollem effeminatum* notat); iisque solis qui mollioribus essent moribus postea inditum. Quod vel apud Senecam, et in hoc versu Persii videri potest:

„*Trossulus* exultat tibi per subsellia levis (b).

Nonius hoc sensu vocabulo accepto falsam affert originem: *Trossulum* a *torosulo* id est *pingui, carnosio* deducit.

Flexumines a flectendo certe (flectebant vero equorum habenas) fuerunt nominati.

Celerum denique tria *ἴνυμα* solent exhiberi: unum a ministerii celeritate: alterum a primo praefecto Celere: tertium a Graeco κίλης vel κίλης equus, eques. Illa veterum, hoc recentiorum est. Atque veterum quidem haec Dionysius Halicarpasseus in libro secundo Antiquit. Rom. tuetur: „ἴνυμα δὲ κοινὸν ἄπαντες, ὃ καὶ νῦν κατέστησαν, ἔσχατον Κέλεις, ὡς μὲν οἱ πλείους γράφουσιν, ἐπὶ τῆς εὐρύτητος τῶν ἀπηρεσιῶν, τὸς γὰρ ἑτοίμους καὶ ταχέως ἐπὶ τὰ ἔργα, Κέλεις οἱ Ῥωμαῖοι καλεῖσιν. Ως δὲ Οὐαλέριος ὁ Ἀντιῶς φησιν, ἐπὶ τῷ ἠγυμῶτος τῶν ἔχοντες τὸ ἴνυμα.” Extrema Festus quoque in Voce *Celeres* asservat: „*Celeres* antiqui dixerunt, quos nunc equites dicimus, a Celere interfectore Remi, qui initio a Romulo iis praepositus fuit.” Pugnare

(c) *Celeres* sub Romulo regibusque appellati sunt: deinde *Flexamines* postea *Trossuli*, Plini. Hist. Nat. L. XXXIII. c. 9.

(a) Ep. 76. et 88. Conf. Varr. in Voc. *Sesquialisse*.

(b) Sat. 1. v. 82.

contra

contra veteres J. Scaligerus, Angelus Caninus et Vossius viri graves et omni laude insignes. Ita enim Vossius in Etymologico suo: „Si ab antiquis hac quoque in re dissentire licet, contenderim „ celer esse a *κελος*, quod proprie equum desultorium; sed non raro „ etiam dicitur de equite ipso, hoc est, eo, qui non bigis aut „ quadrigis sed equo certat singulari. Estque eadem sententia „ J. Scaligeri l. poet. c. 30. et Angeli Canini in Hellenis. Alphab.” Hactenus homo doctissimus. Quid ego post tantos viros? — Quo me vertam nescio? — Moremne iis geram ad eorumque rationes me adjungam; an antiquorum signa sequar? Magni mihi quidem sunt hi, nec tamen propterea minoris facio illos. Antiquos colo et nisi injusta causa desero. Pulchrum et verisimile, quod triumviris placuit nostris: at verum non dicam, cum probe teneam, quam præstet judicium veterum, quamque concinat Romuli historiae. Sane equites, quorum custodia rex corpus suum muniverat, a Celere fratris interfectore appellari voluit; quo indicaret, quanta futura esset suarum injuriarum ultio. Sed quod gravius est, res ita de nomine Celerum explicata mirifice congruit cum iis, quæ de Romulo, ut elemento physico narrantur; hæc autem quanta sint Viri docti dijudicaverunt. Accedit, ut tempus, quo equites Celeres vocari desierunt, respiciamus. Cum regio imperio extinctum Celerum nomen, monuimus, probabile est. Quod si ita sit, descenderit a Fabio Celere Remi interfectoris necesse est: aliter enim nihil tale habuisset, quod offendere regum inimicos potuisset. — Alterum veterum *τρομας*, ut et de hoc quoque aliquid addam, nimis vulgare et vix credibile est.

3.

Jam vero perpensis et examinatis iis quæ ad numerum nominæque equitum faciant; veniamus ad quaestionem, quo tempore equester ordo institutus sit. In duas partes discedunt viri, qui quaestioni isti dissolvendæ operam dederunt: alii originem equestris ordinis sub regibus quærunt; alii eam ad Gracchos referunt. Horum agmen ducunt Le Beau et Baufordt, duumviri et ingenio excellentes et abundantia doctrina, atque optimarum artium studiis eruditi et omnis antiquitatis peritissimi. Quos ego cum in

aliis honoris causa nominavi, numina quasi consului saepe, tum in his adibo. — Uterque, alter in Antiquitatibus suis Romanis, alter in sua de militia Romana disputatione Plinio potissimum freti Gracchos equestris ordinis auctores habent. Eodem duce utemur quoque nos, cum scriptore egregio tum equite insigni. Verba Plinii fundamentum et robur quaestionis nostrae, sunt haec:

„ Judicum autem appellatione separari eum ordinem, primi
 „ omnium instituere Gracchi, discordi popularitate in contume-
 „ liam senatus: mox ea debellata, auctoritas nominis vario se-
 „ ditionum eventu circa publicanos substitit: et aliquandiu tertiae
 „ vires publicani fuerunt. Marcus Cicero demum stabilivit eque-
 „ stre nomen in consulatu suo, Catilinanis rebus, ex eo se or-
 „ dine profectum, esse celebrans, ejusque vires peculiari popu-
 „ laritate quaerens. Ab illo tempore plane hoc tertium corpus
 „ in Republica factum est, coepitque adjici Senatui populoque
 „ Romano et Equester Ordo. Qua de causa et nunc post popu-
 „ lum scribitur, quia novissime coeptus est adjici.” (a) —

Explicemus hunc locum.—

Inde ab Urbe condita usque ad Gracchorum tempora judicia penes Patres erant. Gracchi primi, Tribuni plebis creati, privare senatum ista dignitate in animum induxere. Principium a Tiberio natum. Is enim, cum ditissimos e populo re a se imminutos (b), honoribus augere vellet, legem de judiciis a senatu ad equites (illi erant ditissimi e populo) transferendis promulgavit. Quae quamvis perlata non fuit ipso occiso, facem tamen certaminum accendit. — Decem deinde interpositis annis (631) Cajus non minore excanduit impetu; vindexque fraternae mortis lege Tiberii repetita patres judiciis exiit. Calumniam quidem inultam senatus non est passus (c); damnum tamen sibi illatum non resarsit.

(a) Hist. Nat. Lib. XXXIII. c. 8.

(b) Agrariis legibus latis quibus sancitum erat, ut agri a privatis per vim occupati plebi dividerentur. Inerat omnibus species aequitatis.

(c) Obvia senatus manu, ab Opimio consule oppressus est. Insultatum quoque mortis reliquiis: et illud sacrosanctum caput Tribuni plebis auro pensatum est. Flor. lib. III. c. 13.

Itaque equites judicia nacti, magni exinde habiti et tanquam tertiæ vires civitatis existimati sunt: quanquam Plinio teste nondum tertium Reipublicæ corpus facti, soloque honore a populo distincti. „ Judicum appellatione separari eam ordinem primi „ omnium instituere Gracchi.—Hic latent primordia ordinis equestris, qui in consulatu Ciceronis, stabilitus est. Quod infra ostendetur cum eo usque, rem prosecuturi sumus.

Sedecim abhinc annos soli equites judicum obibant munus, cum 647, Q. Servilius Caepio consul, eloquentia L. Crassi adjutus, Patres equitibus reconciliavit, utrisque judiciorum exercendorum potestatem tribuendo. Lex hæc non diu valuit: biennio enim post abrogata est, cum C. Servilius Glaucia tribunus plebis secundo consulatu Marii an. 649 suam edidisset; qua imperabatur ut quadringenti quinquaginta iudices repetundarum extra senatum legerentur. M. Livius Drusus tribunus plebis an. 662. numerum æquare cupiens legem condidit: sed re irrita ipse interemptus senatus autem iudiciis penitus destitutus est.—Verum iterum brevi, equites lege M. Plautii Silvani tribuni plebis coacti una cum patribus jus dixere. Iudices enim quotannis quindecim ex quavis tribu creabantur, nulla ordinis ratione habita. Utrum lex ista ad Syllæ ætatem observata fuerit, necne, ignoratur: at hoc certum est Syllam 673 an. equitibus, quod contra ipsum civili bello arma tulissent, judicia ademisse patribusque restituisse. Decem annorum spatio interjecto Pompejo et Crass Coss. L. Aurelius Cotta prætor ordines animis aversos composuit; ita ut, præter patres, equites, tribuni quoque aerarii de controversiis constituerent.—Sed ne terminos, quibus nos circumscripsimus, egrediamur, ad id unde digressi sumus revertemur. „ Mox debel- „ lata ea, dicit Plinius, auctoritas nominis vario seditionum esse, ventu circa publicanos substitit: et aliquandiu tertiæ vires publicani fuere.” Macedonia in provinciam redacta tributorumque, quæ in singula capita imposita solvebant Romani, sine al- lato, (a) triplicis generis reditus reipublicæ fuerunt, decumæ,

(a) Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus est Paullus; tantum in aerarium pecuniæ invexit, ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum. Cic. de Off. L. II. c. 76.

(b) scriptura (c), portorium (d), vectigalia dicti. Hæc summis pretiis, ut ultrotributa infimis (e) quinto quoque anno Censores societatibus locabant; quas cum ditissimi tantum cives inire possent, patribus vero quæstus omnis indecorus videretur, soli equites faciebant. Initium rei ante Gracchos factum, edictum C. Claudii et Tiberii Sempronii Censorum comprobatur: quo prohibitum fuit, ne quis eorum (equitum) qui Q. Fulvio, A. Postumio Censoribus publica vectigalia aut ultro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet, sociusve aut affinis ejus conductionis esset. Juris dicendi potestate equites aucti, non abstinere lucro, quin etiam ita vectigalia tractabant, ut vel ipso illo abuterentur jure. Rutilius vir summæ innocentiae, tradit Livius in Epit. Lib. LXX. quoniam legatus C. Mucii Proconsulis a Publicanorum injuriis Asiam defenderat, invisus equestri ordini, repetundarum damnatus in exilium missus est. — Delatis a Sylla ad senatum judiciis equites quæstum omnino spectabant. Inde ab hoc tempore scriptores fere nunquam, nisi cum de publicanis agendum sit, de equitibus loquuntur. Atque hoc illud est, quod Plinius intelligit scribens: „Mox debellata ea, auctoritas nominis vario seditionum „eventu circa publicanos substitit et aliquandiu tertiæ vires publicani fuere”. — Post legem Aurelii Cottæ denuo cum Publicanis communicantur judicia. Unde Cicero in oratione pro Muræna diserte, dicit se in numero judicum plures videre Publicanos. Idem summo eos ornat elogio in oratione pro Plancio: „Flos, „ait, equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamen-

- (b) Decima pars omnium rerum, quæ ex agris Reipublicæ populo Romano redibat.
- (c) Scriptura erat vectigal, quod pendebatur ab iis, qui silvis et pascuis publicis fruebantur.
- (d) Portorium item vectigal, quod capiebatur ex rerum importatione vel exportatione per maria, flumina, lacus, stagna etc.
- (e) Ultrotributum est sumptus operum publicorum. Differt a vectigali, quia, qui vectigal conducebat, pecuniam prius colligebat deinde vero aerario inferebat; qui vero ultrotributa, prius pecuniam erogabat, deinde ex aerario, quod sibi debebatur, accipiebat. Liv. L. XXXIV. c. 44. „Censores vectigalia summis pretiis ultrotributa infimis locaverunt.”

„ tum Reipublicae Publicanorum ordine continetur.” Verum haud semper iisdem cumulantur laudibus: immo sæpius graviter reprehenduntur infamiaque notantur. P. Aemilius apud Livium, ubi Publicanus esset, ibi aut jus publicum vanum, aut libertatem sociis nullam fuisse docet (a). Cicero ipse magnum inde tribuit Siculis praeconium, quod adeo diligenter Romanos, ut iis solis neque publicanus, neque negotiator ullus odio esset. Turpem istam ignominiam non aegre ferebant equites, et opes, quibus crescerent, nihilominus quaerebant. Denique facti sunt tertius ordo Reipublicae: qui Ciceronis consulatu stabilitus est. Cicero enim tam scite ope eorum usus fuerat bello Catilinario, ut populus Romanus salutem suam equitibus deberi putaret. Cicero eos in pristinam concordiam cum senatu reduxit: unde gloriam sibi quærit in quarta Catilinaria in senatu habita. „Quid ego hic equites Romanos commemorem!... quos ex multorum annorum dis-sensione ad hujus ordinis societatem concordiamque revocatos hodiernus dies vobiscum atque hæc causa conjungit; quam conjunctionem, si in Consulatu confirmatam meo, perpetuam in Republica tenuerimus, confirmo vobis, nullum posthac malum civile ac domesticum ad ullam Reipublicae partem esse venturum.” (b).

Nemo illi equitum unquam patroni nomen denegavit: quod vel ipse his affirmat: „Quem unquam iste ordo patronum adoptavit? si quemquam, debuit me” (c). Recte igitur Plinius: „M. Cicero demum stabilivit equestre nomen in consulatu suo, Catilinanis rebus, ex eo se ordine profectum esse celebrans, ejusque vires peculiari popularitate quærens.” Ex hoc tempore in tres ordines describitur populus Romanus: „Ab illo tempore plane hoc tertium corpus Reipublicæ factum est, coepitque adjici senatui populoque Romano et equester ordo.” Extremus locus, qui equestri ordini in formulis datur, novitatem rei arguit: „Qua de causa et nunc post populum scribitur, quia novissime coeptus est adjici.” —

(a) Conf. Liv. Lib. XXV. c. 3. et 4. de Postumio et Pyrgo.

(b) Cap. 15.

(c) Philip. VI. c. 13.

Sed ut quasi Colophona huic disputationi addam, de iis qui originem equestris ordinis sub regibus quærunt, pauca dicam. Validissimum istorum argumentum est, quod Livius et Valerius Maximus de equitibus ante Gracchos velut de equestri ordine loquantur. Ridicula argumentandi ratio! — Promiscuo vocabulorum usu decipiuntur viri; qui vix defenditur ulli, nisi rei inducat caliginem. Equestris ordinis vocabulis utuntur de equitibus auctores Romani; quia equites ex praestantissimis juvenibus lecti ante Gracchos jam medium inter populum et senatum tenere videbantur. Aberratio quidem est in recta annorum serie computanda: sed aberratio hæc non impedit, quominus res bene intelligatur. Anno 543. U. C. publicis opibus fractis, Patres pro se quisque aurum, argentum et aes in publicum contulerant: Livius, ut declararet idem quoque alios fecisse cives, his verbis cogitata extulit. „Consensus senatus equester ordo est secutus, equestris ordinis plebs.” (a). In quibus „ista equester ordo” ea ratione usurpata sunt, qua usurpari docuimus supra. Judicium id nostrum probat oratio, quam habuerat Laevinus, ut cives ad voluntariam illam collationem et certamen adjuvandæ Republicæ excitaret; ubi duo tantum ordines senatus et populi laudantur, tertius silentio præmittitur; quod fieri non potuisset, si quidem ipse fuisset. „Magistratus senatus et senatus populo sicut honore præstat, ita ad omnia, quæ dura atque aspera essent subeunda, ducem debere esse etc.” (b). Similiter equestrem ordinem cum populo confudit P. Scipio Africanus, cum consulatu suo secundo, qui quinquaginta annis Gracchos præcesserat, loca in spectaculis ordinibus designaret (c). Adversarii Plinii recurrunt ad alia Livii, quæ in libri secundi capite I. leguntur: „Caedibus regis diminutam Patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam, explevit”; ex iisque eruere volunt, quod erui nequit. Nam,

(a) L. XXVI. c. 36.

(b) L. C.

(c) Primus Roscius Otho a 686. trib. pleb. equestrem ordinem a populo secrevit lege lata; ut equites in quatuordecim gradibus proxime orchestrae junctis sederent.

quam diversa sint, *equester gradus et equester ordo* nemo non videt. Ex Valerio Maximo afferunt iidem ea potissimum quæ de Tarquinio Prisco dicuntur: „*equestrem ordinem, uberiores reliquit*”: sed pol operam ludunt Valerianae indolis ignari.

Partem secundam magnitudo libelli
in proximum annum differri
jubet. —

Leopoldus SUMIŃSKI
Mag. DD. et LL. AA.

Pisemko ninieysze pod tytułem *Dubia* ~~o~~ *quaedam de Equitibus Romanis tolluntur*; z trzydziestu trzech stronnic poparafo-
wanych złożone, wolno drukować, pod warunkiem złożenia trzech
exemplarzy do Bibliotek Postanowieniem Xięcia Namiestnika
Królewskiego wskazanych.

w Warszawie dnia 30 Czerwca 1823.

Radca Stanu Dyrektor Jlny Wychowania Publ.

J. K. SZANIAŃSKI.

Nr inw. 4069

